



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ephesini Concilii Generalis Pars I. Et II. Sub Cælestino papa I. anno  
CCCCXXI.

**Parisiis, 1644**

Svpplex Libellvs Ab Evprepio episcopo Byzes & Arcadiopolis, & Cyrillo  
episcopo Coelensi, sanctae Synodo oblatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15062**

fuerint, vel in alio quopiam gradu ecclesiæ, excidant & a clero, & a gradu, & a communione: laici vero anathematizentur. Conuicti quoque non permittantur habere monasteria, vt ne zizania diffundantur & crescant. Hæc vt sic agantur, omnes vires intendant pientissimi episcopi Valerianus & Amphilochius, ceterique reuerendissimi totius prouinciæ episcopi. Vnde ad hæc placuit, librum \* pollutum illius hæreseos, qui dicitur Asceticon, anathematizari, quem attulerat religiosissimus & pientissimus Valerianus, vtpote ab hæreticis compositum. Similiter si quid illorum impietatem sapiens apud plerosque inueniatur, etiam hoc anathema sit. Præterea dum conueniunt, quæ vtilia & necessaria ad concordiam & communionem & \* dispensationem, manifeste scriptis commendentur. Si autem quæstio oborta de his quæ in hoc negotio sunt, & si quid difficile & ambiguum fuerit, quod pientissimis episcopis Valeriano & Amphilochio, ceterisque per totam prouinciam episcopis non probatur, admotis scriptis omnia excutere debent. Et si relictæ fuerint pientissimi episcopi vel Lyciorum, vel Lycaoniorum; non relinquatur tamen metropolitanus, prouinciæ cuiuscumque fuerit. In commentarios hæc referenda, vt si qui opus habent iis, inueniant, quo etiam aliis ea diligentius exponant.

SVPPLEX LIBELLVS AB EUPREPIO  
episcopo Byzes & Arcadiopolis, & Cyrillo episcopo  
Cœlensi, sanctæ Synodo oblatus.

*Sanctæ & vniuersali Synodo, gratia Dei & assensu pientissimorum regum in Ephesiorum metropoli congregatæ, ab Euprepio episcopo Byzes & Arcadiopolis, & Cyrillo episcopo Cœlensi.*

VETVS mos viget in prouinciis Europæ, quod singuli episcopi duos vel tres sub se habeant \* episcopos: vn-<sup>\*f. episcopus</sup> de Heracleæ episcopus sub se habet Heracleam & Pa-<sup>patus</sup> nion; episcopus autem Byzes, sub se Byzen & Arcadiopolim; Cœlensis vero similiter habet Cœlan & Callipolim: porro episcopus Sabfadiæ sub se habet Sabfadiam & Aphrodisiadem. Itaque olim & ab initio ecclesias illas duo Europæ episcopi administrabant, & nunquam prædictæ ciuitates proprios acceperunt episcopos; sed aliæ quidem

ANNO  
CHRISTI  
431.

\*Fritilas

sub Heraclea fuerunt ab initio; Arcadiopolis autem fuit  
episcopi Byzensis; Callipolis similiter sub episcopo Cœ-  
lensi. Verum quoniam nunc \*Phriuclas Heracleæ episco-  
pus a sancta Synodo apostata factus, Nestorio, & cum il-  
lo sentientibus se addixit (susplicamur autem, quod nun-  
quam vel ipse vlciens tamquam hostes, vel qui cum ipso  
Heracleæ episcopatum administrant, veniant ad ordi-  
nandum episcopos, iuxta veterem & roboratam consue-  
tudinem in memoratis ciuitatibus, quæ nunquam pro-  
prios episcopos receperunt; ) itaque priscos mores &  
consuetudinem, quæ olim & ab initio viguit, commoueri  
propter nouitates cogitantes, oramus vestram pietatem,  
definitionem pronuntiari de ea re a vestra sancta magna-  
que Synodo, proprioque signaculo eam roborari; ita vt  
neque nos ecclesiis nostris priuemur, in quibus plurimum  
laborauimus; neque mos iam longo tempore confirma-  
tus, a quopiam præmemoratorum commoueatur, fiant-  
que bella & inordinationes, maxime inter episcopos Eu-  
ropæ. Cuius rei si compotes facti fuerimus, gratiam habi-  
turi sumus omnium Deo, qui hic vestram sanctitatem  
congregauit ad corrigendas ecclesias orbis.

Sancta & vniuersalis Synodus dixit: Honestæ petitio  
est pietissimorum episcoporum Euprepî & Cyrilli,  
quam ostendunt oblatis libelli. Vnde & sanctis Canoni-  
bus, & externis legibus, \* quæ veterem consuetudinem,  
nunc vim legis habent, nihil innouandum in Europæ ciui-  
tatibus, sed iuxta veterem consuetudinem gubernentur  
ab episcopis, a quibus & olim; cum nullus etiamnum me-  
tropolitanus, qui alioqui sustulisset potestatem; neque  
postea futuris temporibus poterit aliquid a veteri consue-  
tudine innouari.

*Hæc mutila  
& depramata  
videntur.*



